

modum procedendi. Etenim Syllogismus *δεικτικὸς* à propositionibus sive præmissis progreditur ad conclusionem; imò ideò præmissas adhibet, ut per eas in notitiam conclusionis deducatur: at verò Syllogismus *διὰ τὴ ἀδυνατίαν* à conclusione *δεικτικῶς* illata initium facit, atque ab ea ad alterutram præmissarum falsitatis accusandam progreditur; imò ideò conclusionis falsitatem & repugnantiam detegit, ut falsitatem alterius præmissarum ex ea manifestam faciat, ac proinde ejus contradictoriam veram esse inde intelligatur. Apparent hæc ex verbis Aristotelis II. Prior. XIV. §. 1. *Jam verò demonstratio ducens ad impossibile differt ab ostensiva: quia ponit, quod vult evertere, ducens ad confessum falsum: ostensiva autem initium sumit à concessis propositionibus.* Addit Aristoteles: *Accipiunt igitur ambæ duas propositiones concessas: sed altera sumit eas, ex quibus fit Syllogismus: altera verò unam harum & contradictionem conclusionis.* Vid. Neldelius Instit. de Usu Organ. Aristotel. part. III, cap. II. §. 43. 44. Conf. Andreas Planerus Quæst. in Prior. Analyt. p. 196.

XLIV. Porro ad indolem Syllogismorum *εἰς τὸ ἀδύνατον ἀγόντων* declarandam apprimè faciunt, quæ apud Aristotelem non solum libr. I. Prior. V. & VI. de probatione Syllogismorum secundæ & tertiæ figurarum, quâ necessitas consequentiæ per Syllogismos primæ figuræ ipsis inesse κατὰ τὸ ἀδύνατον evincitur, pluribus traduntur, verùm etiam quæ libr. II. Prior. Analyt. cap. XI. XII. XIII. XIV. περὶ ἀπαγωγῆς five de deductione ad impossibile secundum singulas figuras differuntur. Quibus etiam jungi possunt, quæ II. Prior. II. IX. X περὶ τῆς τῶν συλλογισμῶν ἀντιστροφῆς ab eodem sunt tradita. Quamvis verò ἀπαγωγή & ἀντιστροφή in eo conveniant, quòd utraque ex opposito conclusionis nec non terminis eòdem modò dispositis procedat, utraque etiam non ad unam figuram sit adstricta, sed in omnibus figuris institui queat, II. Prior. I. §. 2. intercedunt tamen etiam inter eas nonnullæ